



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XLIII. Contra vanam & sæcularem scientiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)



tribuit, gratiam Dei in se venire impedit: quia gratia Spiritus sancti, cor <sup>1. Pet. 5</sup> humile semper quærit. Si scires te perfectè annihilare, atque ab omni creato amore euacuare, tunc deberem in te cū magna gratia emanare. Quando tu respicis ad creaturas, subtrahitur tibi adspectus creatoris. Disce te in omnibus, propter creatorem vincere, tunc ad diuinam valebis cognitionem pertingere. Quantumcumque modicum sit, si inordinatè diligitur & respicitur, retardat à summo, & vitiat.

## CAP. XLIII

*Contra vanam & secularem sciētiam.*

**F**ILI, non te moueant pulchra & subtilia hominum dicta. Non enim est regnum Dei in sermone, sed <sup>1. Cor. 4</sup> in virtute. Attende verba mea, quæ corda accendunt, & mentes illuminant: inducunt compunctionem, & variam ingerunt consolationē. Numquam ad hoc legas verbum, vt doctior aut sapientior possis videri. Stude mortificationi vitiorum, quia hoc



ampliùs tibi proderit, quàm notitia multarum difficilium quæstionum.

2 Quum multa legeris & cognoveris, ad vnum semper oportet redire principium. Ego sum, qui doceo hominem scientiam: & clariorem intelligentiam paruulis tribuo, quàm ab homine possit doceri. Cui ego loquor, citò sapiens erit, & multùm in spiritu proficiet. Væ eis, qui multa curiosa ab hominibus inquirunt, & de via mihi seruiendi parùm curant. Veniet tempus, quando apparebit Magister magistrorum Christus, Dominus Angelorum, cunctorum auditurus lectiones, hoc est singulorum examinaturus conscientias. Et tunc scrutabitur Ierusalem in lucernis, & manifesta erunt abscondita tenebrarum, tacebuntque argumenta linguarum.

3 Ego sum, qui humilem in puncto eleuo mentem: vt plures eternæ veritatis capiat rationes, quàm si quis decem annis studuisset in scholis. Ego doceo sine strepitu verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine pugnatione argumentorum.



rum. Ego sum, qui doceo terrena despiciere, præsentia fastidire, æterna quærere, æterna sapere: honores fugere, scandala sufferre, omnem spem in me ponere, extra me nil cupere, & super omnia me ardentè amare.

4 Nam quidam amando me intimè, didicit diuina, & loquebatur mirabilia. Plus profecit in relinquendo omnia, quàm in studendo subtilia. Sed aliis loquor communia, aliis specialia: aliquibus in signis & figuris dulciter appareo, quibusdam verò in multo lumine reuelo mysteria. Vna vox librorum, sed non omnes æquè informat: quia intus sum doctor veritas, scrutator cordis, cogitationum intellector, actionum promotor, distribuens singulis, sicut dignum iudicauero.

## CAP. XLIIII.

*De non attrahendo sibi res exteriores.*

**F**ILI, in multis oportet te esse inscium, & æstimare te tamquam mortuum super terram, & cui totus Gal. 6.

I 4 mun-